



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica  
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ  
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

**Bucer, Martin**

**Genevae, 1613**

De doctrina sine scripto Ecclesi[a]e tradita 28

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34315**

orbe ab initio fuerunt, adhuc sunt, & deinceps futuræ sunt.

Quare Vincentius Lirniensis Episcopus, Libro aduersus prophanas Nouationes Catholicum rectè describit, dicens, *Id esse quod ubique, quod omnibus temporibus, & ab omnibus, intellige Christianis, creditum est. Hoc est, inquit, verè Catholicum.*

Hæc vniuersitas in omnibus tribus Ecclesiæ signis, quæ liber tradidit, comprehensa est, præcipue verò in tertio, confessione videlicet Christianæ doctrinæ, & traditione in totam communionem & obediētiam Christi. Per hanc enim veri Christiani, & veræ Ecclesiæ Christi, se in Christo Domino cōiungunt, ut vera ipsius membra suntque vnum, sicut ipse & Pater vnum sunt, cum omnibus, qui vñquam membra Christi fuerunt, vel adhuc futuri sunt in vniuerso mundo.

Manifestum igitur est, tertiam reprehensionem in hac secunda huius articuli parte esse meram cauillationem.

---

*De doctrina sine Scripto Ecclesiæ tradita.*

C A P. XXVIII.

 VARTA reprehensio secundæ partis de signis & notis Ecclesiæ hæc est, Quod Aduersarij dicunt, Primum Ecclesiæ signum non esse plenè traditū: propterea quod Ecclesia vult scripturam intelligi debere secundum traditionem & intellectum vniuersalis Ecclesiæ: similiter unitatem exigat & cōcordiam, non in dogmatibus tantum scripturæ, sed etiam in traditionibus, quas nullis scriptis in mysterio ab Apostoliis viris recipimus.

*Responso.*

Liber dicit, Primum Ecclesiæ indicium esse veram doctrinam, per Christum & Apostolos in Euangeliō, vero intellectu traditam. Et paulò pōst: Unitas Ecclesiæ consistit in consensu de doctrina Euangelij, & vero eius intellectu. Quibus verbis verus Euangelij intellectus vñā cùm ipso Euangeliō coniunctim commemoratus est, qui tantummodo per Christum & Apostolos eius à principio traditus, & ab Ecclesia, ut Catholica traditio conseruatus est. Ad hæc cùm in libro & hoc quoque positum sit. Doctrina per Christum & Apostolos Ecclesiæ vero intellectu tradita, in eo sane comprehenduntur omnes Christianæ doctrinæ, quæ vñquam Ecclesiis vel scripto, vel sine scripto à Deo traditæ sunt. Quæcumque enim traditiones ad verum Euangelij intellectū nec pertinent, nec conferunt, tales nec à Deo profiscuntur, neque per Christum & Apostolos traditæ, atque idcirco nec Christianæ traditiones sunt.

Sic apparent hanc quoque Aduersariorum reprehensionem ratione carere. Verum de his duobus capitibus, nempe dogmatibus Ecclesiæ, & de intellectu scripturarum nullis scriptis ab Apostolis in mysterio ecclesiis tradito, copiosius dictum est in responce facta ad duas priores huius Accusationis partes.

Tertia